

334

332

338

328

343

323

383

283

433

233

Ende

Anfang

319

non pepercit, ut habetur Genes. 22., sic Dominus ipso filio
suo non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit. Ut
habetur Rom. VIII.

Iuxta hanc capellam ab extra stat una vetusta (123A)
arbor olivarum, quam dicunt esse plantatam in eo loco, ubi
aries haerebat cornibus inter vepres, quem obtulit Abraham
pro filio, ut dicitur Gen. 22. In illa ergo sacra capella in
terram nos prostravimus, et cum orationibus praescriptis in-
dulgentias (†) recepimus. Indulgentiis adeptis convertimus
nos ad contemplandam eximiam ipsius Abrahae obedientiam,
qua sine omni contradictione voluit ad unicum Domini pree-
ceptum re sibi carissima carere, et amantissimum occidere
suis propriis manibus, unigenitum suum sibi miraculose natum
ex legitima uxore, cui promissiones factae fuerant. Et cum
his omnibus erat filius bonus, sanctus, obsequiosior omnibus,
pulcher, sanus et innocens. O quale exemplum virtutis, mente
inspicere illos in hoc loco in practica hac arduissima labo-
rantes. Abraham erat senex, Isaac XXV annorum, et erant
soli per omnia ambo Deo parere parati. Ecce, inquit Isaac,
habes me, pater, filium tuum ad votum, stringe manus et pedes
meos funibus, interfice me, sicut tibi et Deo nostro placet.
O peregrine, quid erat videre venerandum senem illum
mirando fervore ligare manus et pedes filii, elevatumque eva-
ginatum gladium, ut illum perimeret. O inaudita obedientia
patris et filii! O ardentissima utriusque voluntas ad obsequen-
dum Deo! Heu confundatur hic, reprehendatur, corrigatur,
emendetur nostra tepidissima obedientia, admonet Deus,
hortantur praelati, clamant scripturae, experientia testatur,
vota ligant, exempla docent; et tamen obedire contemnimus.
Sanctos ergo patriarchas invocemus in hoc loco, ut detur nobis
gratia a Deo.

Locus, ubi occurrit Melchisedech Abrahae cum pane
et vino.

Inde egressi in unam aliam capellam aequa pulchram
inducti sumus, quae in loco illo est erecta, in quo Melchisedech
sacerdos Dei summi et primus rex Jerusalem Abrahae occurrit,

